



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 60. Variæ opiniones circa Canones de auctoritate Pontificis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæc. XVI. circa concipiendos Canones de summi  
A.C. 1563. Pontificis auctoritate.

## §. LX.

*Variae opiniones circa Canones de  
 auctoritate Pontificis.*

EX Patribus contendebant nonnulli,  
 quod summo Pontifici tanta tribue-  
 retur potestas, quanta inerat Divo Pe-  
 tro: „quænam enim alia, inquiebant  
 „Romanæ Curix fautores, est illa sancti  
 „Petri auctoritas, quæ non itidem in-  
 „venitur in summo Pontifice? ipsi enim  
 „data est omnes Christi oves pascendi  
 „potestas:„ verum hæc vox *omnis* vi-  
 detur indicare sensum, prout Scholæ  
 loquuntur, distributivum, non autem  
 collectivum, adeo, ut significet quam-  
 libet oviculam, nec totum gregem in  
 uno congregatum. Insuper cum desi-  
 nare placuisset, quod soli Episcopi *Se-  
 dis Apostolicæ* auctoritate instituti, sint  
 legitimi, postrema hæc verba itidem  
 dubio, atque obscuro sensui obnoxia  
 videbantur, cum olim Patriarchæ Orien-  
 tales iisdem uterentur; præcipue illi,  
 qui iis præerant Ecclesiis, quarum Epi-  
 scopi ab Apostolis erant instituti. Pro-  
 ponebatur etiam, Canoni, qui de sum-  
 morum Pontificum auctoritate ageret,  
 addenda esse hæc verba: *Pastores Uni-  
 versalis Ecclesie*, cum illa desumpta essent  
 ex

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

ex Concilio Lugdunensi, imo etiam a Basileensi conventu allegata, quorum utrumque Galli recipiunt: his autem verbis *oves Christi* dicebant subrogandam esse vocem collectivam: *gregem Domini*, prout Pius IV. Pontifex datis ad Legatos suos literis significabat, eoquod Innocentius IV. illis usus fuisset, ut exprimeret, *Divum Petrum accepisse a Christo Domino plenitudinem potestatis.*

§. LXI.

*Præfulum Gallorum cavillationes circa hunc Canonem de auctoritate Pontificis.*

Franciæ Præfules aliam proferebant Canonis normam, juxta quam illos, qui Sedis Apostolicæ auctoritate assumpti sunt, pro legitimis Episcopis habendos contendebant, quin tamen ulla fieret restrictio ad illos, qui auctoritate summi Pontificis fuerunt approbati: causabantur enim Galli, hujusmodi voces magis proprias esse, cum decedente etiam Pontifice semper Sedes Apostolica subsistat: addebant, sibi quoque videri, quod per solam mentionem de Romani Pontificis auctoritate a veri Episcopi conditione excludantur Timotheus, a Paulo creatus, & Polycarpus a Joanne constitutus, atque hodie tot Episcopi Græciæ; non tamen

*Hist. Eccles. Tom. XLVI.*

T men,